J. N. J.

# Historia
# Nativitatis Christi,
## Carmine Heroico
## descripta.

Mira, Deumq; Hominemq; canam, quem Virgo Maria
Conjugio non juncta viro, sed foeta Sacrati
Numinis afflatu, post tot suspiria Patrum
Foederis antiqui, partu sub luminis auras
Edidit, Evigerum commissa piacula letho
Qui lueret, moriens et tandem limina Ditis,
Infernas peteret sedes, animasq; piorum,
Prostrato Satanâ, spoliisq; Acherontis onustus
Tandem ut Victor ovans cœlesti in sede locaret.
Hujus fata canam primis quæ expertus in Orbe
Temporibus, dum natus Homo puer ipse Redemptor.
Ergò tenelle Puer, Jesu, mihi suffice vires,
Ut tibi cantando solvam præconia digna!
Vos verò Patres Patriæ adspirate canenti!
In gremio spes pono meas vestro: aura favoris
Sat mihi si spiret vestri: nil cætera curo.
Tempus erat, variis quo Gens Jacobæa procellis
Vindice supremo multum jactata Jehovâ,
Peccati pœnas adversâ sorte luebat.
Vix curru subvecta alto Bellona jugales
Solverat immites, cui quondam prævia frenum
Distringens geminum tulerat Discordia tædas:
Vix Mars armorum pater ense quieverat audax,
Sublatis Regum titulis Sceptroq; superbo
Gentis Ebræorum, donec submitteret omnis
Incola terrarum sese victricibus armis
Et sua colla jugo Populis dominantis in Orbe:
Vix, nunquam, Bellona silet, mala rursus Ebræam
Fata premunt Gentem, et referunt discrimina rerum
Pessima